

modo naturali homini, secundum quod est rationale, in quantum derivatur a lege naturali per medium conclusionis, quae non est multum remota a principiis, unde de facili homines in huiusmodi consentiant: distinguitur tamen a lege naturali, maximo ab eo quod est omnibus animalibus commune: Ergo licet jus gentium sub jure positivo continetur, aliquid tamen de jure naturali participat. Quare Bannez, a. 2. quæst. 57. art. 3. dub. 3. conclus. 3. dicit jus gentium esse quasi medium, affinitatem habens cum jure naturali & civili & positivo; quia cum jure naturali convenit primo in hoc quod neutrum jus oportet esse scriptum; secundo, quod ad sui promulgationem non requiritur convocatio hominum, sed in omnibus nationibus absque præcone acceptatur; tertio, quia jus gentium habet modum juris naturæ, quia jus naturæ est principium, vel conclusio necessaria, at vero jus gentium est quasi modus quidam maxime necessarius, ut jus naturæ servetur; quarto, conveniunt in hoc quod jus naturæ & jus gentium ubique apud omnes gentes custoditur, & si oppositum fiat, omnes judicant male fieri. Similia tradit Medina 1. 2. quæst. 95. art. 4.

ARTICULUS II.

Partes integrales, subjectivæ, & potentiales justitiæ recensentur.

6. Dicitur tantum dantur partes integrales justitiæ, scilicet boni operatio, & mali vitatio; non quidem secundum quod bonum, & malum sumuntur in communi, quia sic pertinent ad omnem virtutem; sed prout bonum habet rationem debiti ad proximum, & malum rationem nocivi, sic enim spectant ad justitiam, & ex illo duplici actu completum manns & finis justitiæ coalescit. Cum enim perfecti agentis sit, & rem constituere, & constitutum conservare, oportet ut ad eandem justitiam, cujus est constituere aequalitatem ad alterum, tribuendo illi quod suum est, pertineat etiam conservare aequalitatem constitutam, vitando & removendo mala injustitiæ, per quæ destruitur. Primum dicitur *facere bonum*, secundum *declinare a malo*; unde sine his duobus non est justitiæ opus integrum & perfectum.

7. Partes vero subjectivæ justitiæ, seu illius species sunt tres nimirum, justitiæ commutativa, distributiva, & legalis. Prima est justitiæ partis ad partem, secunda totius ad partes, tertia partium ad totum. Cum enim munus justitiæ sit aequalitatem inter aliqua constituere, ut scilicet unumquodque alteri reddat quod ipsi debetur, juxta diversas habitudines illorum, inter quæ ponitur aequalitas, distinctæ species justitiæ consurgunt. Hujusmodi autem habitudo tantum est triplex, nempe vel partis ad partem, ut unaquæque det alteri quod suum est, & hæc est justitiæ commutativa: ad quam pertinent commutationes, emptiones, venditiones, & omnes contractus, ex quibus confurgit obligatio unius partis ad alteram. Vel potest esse habitudo totius ad suas partes, ita quod ipsum totum unicuique parti tribuat quod ei competit; & hæc vocatur justitiæ distributiva, ad quam spectat distributio præmiorum, & honorum communium: utraque vero dicitur justitiæ particularis, quia attendit bonum partium. Vel demum prædicta habitudo potest esse partium ad summum totum, ut scilicet unaquæque pars ita se habeat, sicut bono totius expedit, tribuatque communitati quod debet; & ista appellatur justitiæ legalis, quia potissimum curat, ut leges in suo robore conserventur, & observentur, quatenus media hac observatione ipsum bonum commune conservatur; dividiturque in eam, quæ respicit bonum commune & legum observantiam, attendendo ad verba legis, & non nisi juxta illa ad intentum legislatoris: quæ retinet nomen commune justitiæ legalis, & dirigitur a Synesi, quæ est virtus judicativa secundum leges & regulas communes; & in eam quæ prætermittendo verba legis, solum attendit legislatoris intentionem & animum, ut ita fiat, sicut in hoc casu attentis omnibus circumstantiis fieri velle; & ista vocatur Epileja, & dirigitur a virtute judicativa supra communes regulas, scilicet Gnome, ut artic. 2. præcedentis disputationis declaravimus.

8. Partes demum potentiales justitiæ sunt novem, nimirum religio, poenitentia, pietas, observantia, gratitudo, vindictiva, veritas, amicitia, & liberalitas, cujus novemarii numeri hæc ratio reddi potest. Virtus ordinata ad alterum, solum potest desiderare a perfecta justitiæ, vel quia id quod alteri reddit, deficit a ratione æqualis, vel quia deficit a ratione debiti. Primo modo deficient virtutes quæ sunt ad Deum; quidquid enim homo illi reddat, reddit minus quam debet. Hujusmodi vero sunt religio, quæ tribuit Deo reverentiam & cultum; & poenitentia, quæ exhibet illi pro peccatis satisfactionem. Similiter a ratione æqualis deficient virtutes quæ respiciunt partium, & parentes, & personas in aliqua dignitate constitutas; & virtus, sapientia, aliæque prærogatæ

va insignes; nempe pietas & observantia, quia neque his a quibus naturale esse accepimus, neque his quæ nobis exhibent documenta & exempla virtutum, postsumus æquale reddere.

Secundo modo deficient virtutes, quarum materia non cadit sub debito rigoroso, quod est debitum legale, sed dicuntur debiti earum actus esse sola decentia & honestate virtutis, quod appellatur debitum morale. In quo debito est duplex gradus: nam vel potest esse necessarium simpliciter, ita ut sine illo honestas morum conservari non possit; vel solum ad melius esse, sine quo proinde restitudo morum potest consistere, licet non perfecte. Ex rursus necessarium simpliciter potest attendi vel ex parte debentis, & sic ponitur veritas; pertinet enim ad tale debitum, ut qualis homo est, talem se exhibeat alteri in factis & verbis, in quo consistit veritas, seu veracitas: vel potest attendi ex parte ejus cui debetur, prout aliquis recompensatur secundum illa quod fecit; quandoque quidem in bonis, & ad hoc ponitur gratitudo, quandoque vero in malis, & ad hoc ponitur vindictiva. Pro debito necessario solum ad melius ponuntur duæ virtutes, nempe amicitia, per quam homo tam verbis quam factis convenienter se habet ad alios quibus conviviti; & liberalitas, per quam convenienter dat, non alio titulo, nisi quia ipsum dantem deest, unde in his duabus virtutibus minimum est de ratione debiti.

De justitiæ elegantia differit Ambrosius lib. de paradiso cap. 3. ubi eam comparat Ephrati, qui est unus equator fluminibus & paradisi fonte promanantibus: „Euphrates (inquit) fecunditas atque abundantia fructuum nuncupatur; præterea quoddam insigne justitiæ, quæ omnem pacis animam. Nulla enim virtutum lætiores videtur habere fructus quam justitiæ, quæ magis aliis quam sibi prodest; & utilitates suas negligit, communi enolamentum præponens &c. Causam autem cur eos terri quæ commeat fluvii, describuntur: regiones locorum, quo Ephrates commeat, non describantur, & illam accipimus, quia ejus aqua vitalis astringit, quæ fovet ac augent: Deinde quia ubi prudentia, ubi & malicia; ubi fortitudo, ubi iracundia; ubi temperantia, ubi & intemperantia plerumque est, aut alia vitia: ubi autem justitiæ, ubi concordia virtutum est ceterarum; ideo non ex locis quæ fluit, hoc est non ex parte, cognoscitur: non enim pars est justitiæ, sed quasi mater est omnium, &c.

DISPUTATIO III.

De Religione, & actibus ejus.

Agimus prius & specialiter de religione, quam de aliis virtutibus justitiæ annexis: tum quia primum tenet locum inter justitias potentiales: tum etiam quia inter virtutes morales præstantissima est. Isidorus Pelusiotus libro 3. Epist. 268. ait, quod quemadmodum in corpore valentior pulchritudinis quod est oculorum pulchritudo; ita etiam in animo præcipua pulchritudinis pars est pietas, seu religio. Et Philo lib. de caritate fere in fine, adjungit ait huic uni virtuti omnes alias, & ab ea non magis divelli posse, quam umbram a corpore quod in Sole versatur. Additque eo per illam subvehi hominem, ut qui ea excultus fuerit, divinus quodammodo efficiatur, & ipsius Dei exultatione non minus honoretur, quam totus populus, & totius qui gentis dignitatem obtinet. Ratio vero tantæ in hac virtute præstantiæ est, quia hominem, a Deo quasi per creationem adjunctum, eidem per cultum debitum religat, ut egregie declarat S. Thomas opus. 19. contra impugnantes religionem cap. 1. ubi sic dicitur: „Religio iteratam ligationem importans, ostendit ad illum aliquid ligari, cui primo conjunctus fuerat, & ab eo distare incipit; & quia omnis creatura prius in Deo existit, quam in seipsa, & ab eo processit, quodammodo ab eo distare incipiens secundum essentiam per creationem, ideo rationalis creatura ad ipsum Deum debet religari, cui primo conjuncta fuerat, antequam esset ut sic ad locum, unde exeunt flumina, revertantur.“ Religio ergo, juxta D. Thomam, a religendo dicitur, quia homines quodammodo Deo religat: vel a relegendo, ut vult Cicero, quia religiosus debet ea quæ sunt divini cultus frequenter legere, & in corde revolvare: vel ut docet Augustinus (de civit. cap. 4. a relegendo, quia Deum religere debemus, quem amiseramus negligentibus. His præmissis, ut hujus præstantissima virtutis naturam percipiamus, ejus definitionem breviter explicare, & præcipuos ejus actus recensere oportet.

ARTICULUS I.

Explicatur definitio Religionis.

Definitur communiter religio: Virtus que debitum cultum Deo tribuit, tamquam primo omnium principio. Dicitur primo virtus, quia est habitus bonus, & principium operationis laudabilis: est enim bonum & laudabile Deum colere debito seu convenienti modo. Unde hæc particula rejicit superstitionem, seu falsam religio, quæ non est virtus, sed vitium rectæ rationi oppositum: quia vel falsum Deum pro vero colit, ut faciunt Ethnici & Pagani, vel licet verum Deum colat, non tamen honesto & convenienti modo, sed vel superfluo caeremoniis a Deo rejectis, ut faciunt Judæi; vel inutilibus ad salutem anime, & in errore contra fidem fundatis, ut Turcæ, Hæretici, & similes. Quare particula *debitum*, significat hoc loco idem quod conveniens. Nominem vero *cultus* non solum importat prolestatio excellentiæ divinæ; sed etiam submissio seu subjectio hominis ad Deum: cultus enim, stricte sumptus & proprie, addit honorem simpliciter submissioem quandam ejus qui honorem exhibet, ita ut se ipsum interiore profectatur eo quem honorat. Unde fit ut cultus non possit esse, nisi circa excellentiorem; cum tamen honor id non postulet: & ideo Deus Sanctos suos honorat, palmam faciens eorum excellentiam; non tamen proprie colit, quia nullo modo tali excellentiæ se submittit. Nota etiam quod quamvis hoc quod est Deo se submittit, videatur proprium humilitatis, non tamen secundum eam rationem, secundum quam religioni tribuitur; nam humilitas respicit talem submissionem præcise quæ congruit nostræ utilitati, ut nos intra limites conditionis nostræ contineamus, ne per elationem extrahamur feramur, religio vero respicit illam præcise, ut declaratur & protestativam divinæ eminentiæ, & ut ipsam tali submissione honoremus. Denique in definitione adducta subditur, *tamquam primo omnium principio*, quia honor qui Deo exhibetur ut patri, & principio nostræ originis, pertinet ad virtutem pietatis, qui vero ipsi ob beneficia ab eo accepta tribuitur, spectat ad virtutem gratitudinis, quæ formaliter respicit beneficium: sed cultus, qui Deo debetur ob singularitatem & infinitam excellentiam in omni genere perfectionis, ex qua ipsi competit esse primum principium, supremumque omnium Dominum, a virtute religionis exhibetur. Unde obiectum materiale hujus virtutis est cultus Deo conveniens, consistens in actionibus internis vel externis, quibus Deo excellentiam protestamur, adorando, laudando, sacrificando, &c. Obiectum vero formale illius est specialis honestas, seu convenientia cum recta ratione, quæ est in eo quod supra præ excellentiæ divinæ reddatur honor, & cultus illi convenientis. Quæ ratio distinguit virtutem religionis ab aliis virtutibus, seu Theologicis, seu moralibus; quippe quæ non versantur circa tale obiectum formale, nec exercentur ad exhibendum Deo honorem, ob supremam ejus excellentiam, sed propter alia motiva particularia, puta ob supremam ejus veracitatem, aut infinitam bonitatem.

Ex his intelliges, quanta fit præstantia virtutis religionis supra alias morales: nulla quippe earum habet obiectum ita elevatum, sicut est divinus cultus, ratione cuius ipsa religio Deum quodammodo attingit. Unde Divus Thomas hic quæst. 81. art. 6. in corp. sic dicitur: „Ea quæ sunt ad finem fortiusque bonitatem ex ordine in finem; & ideo quanto sunt fini propinquiora, tanto sunt meliora: virtutes autem morales sunt circa ea quæ ordinantur in Deum sicut in finem; religio autem magis de propinquo accedit ad Deum, quam alia virtutes morales, in quantum operatur ea quæ directe & immediate ordinantur in honorem divinum: & ideo religio præeminet inter alias virtutes morales.“

Intelliges etiam, religionem non esse virtutem Theologicam, sed moralem: nam virtus Theologica habet ipsum Deum pro obiecto quod & immediato, ut patet in fide, spe, & caritate: illæ enim respiciunt & attingunt Deum immediate, & tamquam obiectum quod, sicut quidem ut supremam veritatem, spes ut summum bonum nostrum; caritas vero ut summum bonum in seipso, summeque amabilem propter se. At religio aliquid creatum immediate respicit, nimirum cultum qui Deo offertur, ut terminus & finis cui; divina autem excellentia est solum ratio ob quam Deo debetur talis cultus, non vero obiectum formale & immediatum religionis. Potestque id explicari & illustrari exemplo justitiæ commutativæ, quam unus homo habet ad alium: sicut enim obiectum talis justitiæ, nec est ipse proximus, nec jus exiliens in illo, sed res quæ ex tali jure proximo debetur: sic obiectum religionis, quæ est justitiæ hominis ad Deum, neque est ipse Deus, nec jus quod habet, ratione summe excellentiæ, ut summa a creaturis colatur, sed ipse creatus cultus, debitus propter talem excellentiam.

ARTICULUS II.

De actibus internis religionis.

Do tantum sunt actus interni religionis, de quibus 4 agit S. Thomas hic quæst. 82. & 83. Primus est devotio, quæ est voluntaria quadam promptitudo ad Dei cultum & famulatum: non enim qualicumque voluntas servandi Deo, vel oblatio ad ejus famulatum, meretur nomen devotionis, sed illa tantum quæ cum promptitudine & fervore spiritus conjuncta est: unde promptitudinem illam cum devotione jungit Scriptura Exodi 35. ubi sic dicitur: *Egressaque omnis multitudo filiorum Israel obulerunt mente promptissima atque devota primitias Domino*. Utramque etiam SS. Patres simul conjungunt, ut Ambrosius lib. 1. de Cain & Abel cap. 8. ubi de Abraham Patriarcha loquens, sic ait: *Adhuc cognosce celeris studis devotionis. Cucurrit, inquit, & accepit vitulum unum tenerum & bonum, & dedit pro eo, & sacrificavit sacre eum. Ubique impigre devotio, & ideo fuit Deo munus ejus acceptum*. Talem vero devotionem & animi promptitudinem, in his quæ ad Dei obsequium pertinent, esse actum religionis formaliter & proprie, probat S. Thomas loco citato quæst. 82. art. 2. hoc dicitur. Ad eandem virtutem pertinet vel facere aliquid, & promptam habere voluntatem ad illud faciendum; quia utriusque actus est idem obiectum motivum formale: Sed operari ea quæ spectant ad Dei cultum & famulatum, pertinet proprie ad religionem: Ergo ad illam quoque pertinet habere promptam voluntatem ad illa exequenda, quod est esse devotum.

Neque valet, si dicas, illud multo magis pertinere ad caritatem, quæ nos impellit ut Deo nos totos tradamus, illique toto corde, tota anima, tota mente, totique viribus adhaeremus, & serviamus. Respondetur enim, diversum esse utriusque virtutis motivum: nam caritas intendit Deo, ut amico placere, illique ut tali nos unire, & ad bona opera prompto & serventi animo exercenda impellit: quatenus illa Deo grata sunt: religio vero intendit Deo servire propter supremam ipsius excellentiam, cultu & honore supremo dignam. Similiter licet spes, obedientia, gratitudo, & alia quædam virtutes non inclinent ad famulandum & obsequendum Deo, id tamen faciunt ex alio motivo quam ex sola speciali honestate, quæ est in ipso cultu divino, sive quia Deus ob supremam suam naturæ excellentiam est dignus, cui prompto animo servire velimus.

Secundus actus internus religionis est oratio, ut docet Sanctus Thomas hic quæst. 85. artic. 3. ubi sic dicitur: „Ad religionem proprie pertinet, reverentiam & honorem Deo exhibere; & ideo omnia illa per quæ Deo reverentia exhibetur, pertinent ad religionem: per orationem autem homo Deo reverentiam exhibet, in quantum scilicet ei se subijcit, & proficitur orando se eo indignere, sicut auctore suorum bonorum: unde manifestum est quod oratio est proprie religionis actus.“

Ut hæc doctrina clarius percipiatur, & declaratur qua ratione oratio, quæ pertinet ad intellectum, utpote quadam interna locutio & manifestatio fit proprie actus religionis, quæ residet in voluntate, cum sit pars potentialis justitiæ: observandum est cum Cajetano hic quæst. 81. art. 4. D. Thomam in assignando virtutibus proprios actus potius respexisse ad identitatem ipsarum virtutum, quam ad identitatem potentiarum: & ideo omnem actum qui non respicit nisi unicum virtutem, appellat proprium talis virtutis, in quantumque potentia fit. Quod si plures virtutes respiciat, illius vocat proprium, a qua habet primam speciem boni & virtuosus actus, ac proinde cuius finem primario respicit. Hac ratione idem S. Doctor supra quæst. 3. art. 1. confessionem externam dicit esse actum proprium fidei; quamvis illa sit in potentia externa, & hæc in intellectu, quia prima bonitas talis confessionis ex fide est, & ejus finem respicit, non vero ex alia virtute. Et generaliter omnes actus externos, sive virtutis, sive vitii, attribuitur ut proprios illis habitibus, a quibus sumunt primam speciem deformitatis, vel relictitudinis, ut confessionem temperantia, externum luxum luxuria, non curando an esset in eadem potentia, vel in diversis. Quia ergo prima & essentialis bonitas orationis est a religione, quia est bonitas reverentia & cultus, oratio dicitur proprie actus religionis, quamvis sit in distincta potentia. Et ex hoc dicitur etiam actus religionis elicite, quia, ut bene observat Bannez supra quæst. 3. citata, & Alvarez 1. 2. disp. 92. dupliciter potest aliquis actus dici elicitus ab aliqua virtute, vel proprie & stricte, quia est immediata ejus operatio, ac proinde manet in eadem potentia; vel large, ex eo solum quod non fit media alia virtute, quamvis mediet alia potentia; dicitur enim talis actus elicitus, quia non est proprie imperatus: nam actus proprie imperatus ab aliqua virtute, dicitur ille, qui fit media alia virtute elicente, sicut actus qui elicatur ab humilitate propter Deum, dicitur imperari a caritate; & ideo ubi una tantum est virtus, qualitercumque influat

inflat in actum, dicitur hic procedere ad ea elicitive. Hoc secundo modo oratio dicitur elici a religione, primo vero devotio, quae in voluntate exsistit.

Oratio definitur *Petitio assensum a Deo*. Subiectatur vero in intellectu, quia orare, quantum ad substantiam actus, nihil est aliud quam internam nostram conceptum ad Deum ordinare, ipsi exprimere, intimare, ac notum facere, quod est munus intellectus: quare si quis sola voluntate desideret, non tamen ordinem in Deum desiderium suum, intellectualiter illi loquendo, non erit ibi vera oratio; sicut in oratione externa non sufficit appetitus boni, nisi ille verbis & locutione ei cui oratio fit manifestetur. Unde alii sic definiunt orationem: *Oratio est desiderium coram Deo explicatio, ut aliquid ab eo impetremus.*

Quatuor vero in oratione velut partes integrales numerat Apollolus 1. ad Timoth. 2. *orationem, postulationem, obsecrationem, & gratiarum actionem.* Nam qui orat, primo accedit mente ad Deum; & hac pars vocatur ab Apollolo specialiter *oratio*, foletque pro ea sumpta oratio defini, *Assensus seu elevatio mentis in Deum.* Deinde patit exprimendo suum desiderium, & hac dicitur *postulatio* vel *supplicatio*. Tertio proponit rationem impetrandi ex parte Dei, quae est ejus sanctitas, & Christi merita, per quae petimus exquiri, & hac dicitur *obsecratio*. Tandem adhibet rationem impetrandi ex parte nostra, & hac est *gratiarum actio*, quia de acceptis beneficiis gratias agentes, impetramus potentia. Haec D. Thomas hic q. 83. art. 17.

Dignitatem, efficaciam, & necessitatem orationis, mirum in modum SS. Patres commendant, ut frequens illius exercitium fidelibus perscrutent. Dionysius Areopagita libro de divin. nomin. pulcherrimo symbolo, & erudienti hieroglyphico aures catenulae & calis emissa, ad sydera, & ad ipsum Deum nos trahentes, orationem depinxit & adumbravit. Et concinit Clemens Alexandrinus libro 7. Stromatum, ubi rationem assignans, cur primi cultores Christianae religionis, manibus in celum elevatis orarent, subiungit: *Ut promptitudine & alacritate spiritus assequantur orationi, quae apprehenditur intelligentia; & quantum verbo caput a terra educere conantes, erectam & elevatam animam desiderio nostrorum cogamus in sanctis progredi, manibus animo corporis vinculum despicientes.*

Chrysostomus orat. 2. de precatione, docet, quod sicut corpus humanum absque nervis motum aliquem habere non potest, ita neque anima absque oratione, subindeque quod anima oratione destituta, est veluti paralytica: *Quemadmodum (inquit) corpus nervis cohaeret, currit, stat, vivit, & compactum est, adeo ut si nervus incidat, universum corpus harmoniam dissolvat: ita anima per sanctas preces sibi constant & compinguntur, ac pietatis cursum facile peragunt. Quod si seipsum destituerit precatione, proinde faceret ac si piscem ex aquis extraxerit, ut enim pisci vita est aqua, ita tibi deprecatio. Per hanc datur velut ex aquis sublevari, calumque transcendere, ac prope Dominum fieri.*

Bernardus ferm. 49. in Cantica asserit quod oratio est cella vinaria, in quam Sponsus introducit Sponsam, hoc est animam dilectam, & ubi inebriatur vino devotionis, quod latificat cor, & torrens voluptatis potatur.

Angustinus ferm. 65. de tempore, in Appendice de diversis tom. 10. *Oratio iusti (inquit) clavis est cali; ascendit precatio, & descendit Dei misericordia. Licet alta sit terra, altum calum, audit tamen Dominus hominis linguam, si mundum habeat conscientiam.* Et ferm. 22. ad fratres in eremo totus in laudes orationis effusus, sic exclamat: *Oratio sancta, columna sanctorum virtutum, anima scala, viduarum maritus, Angelorum cognata, fundamentum fidei, monachorum corona, conjugatarum levamen. Beatus qui se amat, beatus qui se frequentat. Beatus qui se asstringit, sed beatus qui in te perseverat.*

Demum Cassiodorus ad versum illum Psalmi 140. *Dirigitur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, hac scilicet: incensum est odoriferi pigmenti suavis adfusus, quae carbonibus concremata, gratissimum fumum porrigit ad superna, & odorantes delectabili jucunditate permulcet: sic fidelium oratio, igne caritatis incensa, divinis conspectibus ingeritur, quae magis humilitatis & compunctiois pondere subleventur. Viridibus enim Dominus nostris tantquam bonis delectatur odoribus; nam & orationem sanctam velut odorem suavissimum suscipere Dominum in Apocalypsi legitur, ubi dicitur: *Stetit Angelus super aram Domini, habens thuribulum aureum in manu sua, & ascendit fumus supplicationum de manu Angelus in conspectu Domini, ut daret de orationibus Sanctorum: Aut ut vulgatus textus habet: Stetit Angelus ante altare, habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei; & ascendit fumus incensum de orationibus Sanctorum, de manu Angelus, coram Deo.**

Ad eundem Psalmista versiculum egregie observat Belarminus, qualitates bonae orationis recte designari similitudine Thymiamatis, quod offerretur in templo ex precepto Dei mane & vespere, ut habetur Exodi 30. *Illud*

enim (inquit) *has habebat qualitates: Primo constabat ex quatuor generibus aromaticis; nimirum thure, galbano, oniche, & stacte, ut monet S. Hilarius: hic efficebatur odor suavissimus. Secundo offerretur in templi parte nobilissima & interiori, quae dicebatur Sancta Sanctorum, ubi erat tabula Testamenti, & altare aureum. Tertio offerretur per Summum Sacerdotem. Quarto ponebatur super ignem, & inde exiret odor aromatae fumus. Quatuor aromata sunt quatuor virtutes, fides, scientia, caritas, & humilitas. Ex his componitur oratio Deo gratissima. Templum Dei est homo. Vos estis, (inquit Apollolus) templum Dei, 2. ad Cor. 6. sed pars interior est anima, in cuius mente est lex Domini, digito Dei scripta; & in cuius voluntate est altare aureum, cor videlicet mundum, & ornatum gratia Dei. Summus Sacerdos est Christus: per illum enim, ut Advocatum nostrum, semper orare debemus, & ita singulas preces sic concludimus: Per Dominum nostrum Jesum Christum, Denique ignis, qui fumum suavissimum, & directe sursum ascendente excigit, est fervor desiderii: sed in recta ascensione nascitur recta intentio, & iugis attentio. Qui enim orant ut videantur ab hominibus, illi aeva temporalis deorquent incensum, ut non recta ascendat, illi etiam qui evagationis mentis habent, non dirigunt orationem ut debent; evagationis enim veluti flatus ventorum distrahunt, & dissipant fumum orationis, ut non recta sursum ascendat; & quia valde difficile est liberari ab omni evagatione mentis; ideo Propheta huius rei meminisse, dicens: Dirigitur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Haec Belarminus.*

ARTICULUS III.

De actibus externis Religionis.

Præter duos actus internos religionis, iam explicatos, plures facti externi, nimirum adoratio, sacrificium, oblatio, votum, juramentum, & adjuratio divini nominis, eisque per laudem assumptio: de quibus breviter hic agendum est.

Adoratio definitur *Quæritio externa corporis gestu Deo exhibitis*. Relicta enim hæc oratio, ac sit vere & proprie adoratio illa que interior in sola mente concluditur (quam tractat Vasquez tom. 1. in 3. p. disp. 93.) actio illa cui nomen adorationis propriè accomodatum fuit, est quæcumque actio exterior, per corpus exercita, ad significandum internam reverentiam & venerationem, cuiusmodi sunt genuflexio, discoperto capitis, corporis inclinatio, &c. Quamvis enim actus isti externi, secundum se præcise, ad bonum & malum sint indifferentes, ac proinde ad religionem non pertinent, nisi ut respiciant internam devotionem, & possint adoratio appellari; ipsam tamen adorationis nomen non tribuntur actui interno, nisi in ordine ad prædictos motus, & et eos includit: sicut nomen restitutionis non tribuitur absolute voluntati restituendi, nisi in ordine ad exteriorem actum, vel potius tribuitur ipsi externo actui, ut stat sub tali voluntate.

Porro hæc obligatio colendi Deum externa adoratione, juris est naturalis: Tum quia ex duplici natura compositi sumus, intellectuali scilicet & sensibili, ideoque duplicem adorationem Deo offerre tenemur, nimirum spirituales, quæ consistit in interiori mentis devotione; & corporalem, quæ consistit in exteriori corporis humilitione, ut dicitur S. Doctor 2. 2. q. 84. art. 2. in corp. Tum etiam, quia cum homines socialiter vivant, debent non solum Deo vel Angelis, sed aliis quoque hominibus, suam erga Deum submissionem significare, sicut esse veros Dei cultores & adoratores: quod facere nequeunt per actus pure internos & spirituales homines incognitos.

Sacrificium est *oblatio rei sensibilis, a legitimo ministro Dei facta, per realem immutationem, ad restandam supremum illius dominium, in vitam & mortem.*

Dicitur primo *oblatio*, quia hæc large sumpta est genus ad sacrificium & simplicem oblationem; nam in omni sacrificio aliquid Deo offertur. Additur *rei sensibilis*, ut excludatur interna oblatio, quia mens fe Deo offert, quæ non est proprie sacrificium, licet interdum in Scriptura hoc nomine appellatur, ut Psal. 40. *Sacrificium Dei spiritus contribulatus.* Subditur: *a legitimo ministro*, quia cum sacrificium sit excellentissimum & publicus Dei cultus, par est ut non fiat nisi a persona, publica auctoritate ad id destinata, qualis est Sacerdos. Hinc Ofas Rex, cum non esset Sacerdos, & tamen sacrificium offerre vellet, a Deo punitus est, & lepra percussus, quod Sacerdotis officium usurpare 2. Paral. 2. Additur *Deo facta*, quia sacrificium soli Deo debetur, nec huiusmodi cultum licet ulli creature offerri. Per realem immutationem, quia ea que sacrificantur, in ipso sacrificio immutari debent vel mutatione, vel combustione, vel fractione, &c. ut sic melius significetur illud offerri Deo, ut primo principio totius entis, qui potest suo supremo dominio res creatas destruere. Reliquæ particulae, ad restandam supremum illius dominium in vitam & in mortem, posita sunt ad declarandum speciale rationem cultus, qui per actum sacrificandi intenditur & exhibetur, semper

semper ut proficiatur, Deum esse auctorem nostri esse, & dominum vite & necis; illaque hostie destructione, quasi vice nostri oblatæ, protestamur nos quiquid sumus illi debere, dignumque esse, ut si opus foret, & si ipse vellet, totum in ejus honorem indimeretur. Cum enim, ut recte dicit Eusebius lib. 1. demonstr. Evangelicæ caput. naturali ratione viderent homines suam fe vitam Deo debere offerri; quia tamen non conveniebat, neque Deum permittebat homines ipsos sacrificari, lege naturæ introductum est, ut homines vice sui ipsorum, animalia, vel alius res sensibiles Deo immolarent, protestando fe eodem modo vitam suam oblaturos, si oporteret.

Ex his intelligitur differentiam quæ reperitur inter adorationem, oblationem simplicem, & sacrificium: nam adoratio exhibet cultum Deo tamquam superiori, unde per illam homo suam erga Deum submissionem significat: oblatio, ut Domino rerum omnium exteriorum, & ideo ipsi tem aliquam exteriorem offert, in quo distinguitur ab adoratione; sacrificium vero tamquam supremo vite & necis Domino; unde ad hoc significandum, res oblata destrui, vel saltem aliquo modo immutari debet.

Dices primo, si hæc definitio esse bona, sequeretur martyrium esse verum sacrificium: est enim oblatio exterior, quæ Martyr seipsum immolat Deo, in protestationem supremi dominii, quod Deus in suam ipsius vitam & mortem habet: Sed hoc non admittunt communiter Theologi: Ergo, &c.

Respondeo negando sequelam Majoris, ad proprium enim sacrificium requiritur, ut sacrificans active, saltem indirecte concurrat ad immolationem victimæ; nam essentia sacrificii formaliter consistit in activa immolatione victimæ in divini cultus protestationem facta: Martyr vero ne indirecte quidem active concurrat ad immolationem sui corporis, sed mere passive, sustinendo tantum passionem & mortem a tyranno illatum; cum enim non habeat vite suæ dominium, non potest illam active destruere, sed tantum illius destructionem pati. Hinc evidens interitur differentiam inter Martyrium & Christi mortem, quæ fuit propriissimum sacrificium: Christus enim active, saltem indirecte, operatus est suæ humanitatis immolationem; quia dum acta patiebatur, poterat non pati, & impedire omnes passiones, & mortem a Judæis illatam, non solum subtrahendo fe e manibus Judæorum, sed etiam non permitendo ut humanitas sua tormenta sentiret, per dotem impassibilitatis quam communicare saltem ad tempus poterat corpori. Unde non solum Christus habuit libertatem antecedentem vitandi passiones & mortem, sed etiam concomitantem, in actu patendi & moriendi, quam potentiam non habent Martyres, qui illatos a tyranno cruciatus & mortem impedire non possunt.

Dices secundo: Multa fuerunt sacrificia, tum in lege scripta, in quibus nulla fiebat destructio vel immutatio rei oblatae, ut sacrificium Melchisedech qui obtulit panem & vinum in sacrificium, Genes. 14. nulla mentio facta de actione immutativa panis & vini. Similiter Levit. 23. panes primitiarum, & duo agni, sacrificari dicuntur; & tamen hæc postquam elevata erant a Sacerdote coram Domino, cedebant in usum Sacerdotum: neque ibi præscribitur alia immutatio. Ad id potest oblatio hirci viventis, Levit. 16. quem Sacerdos non aliter offerrebat, quam postea utraque manu super caput ejus, confitens omnes iniquitates filiorum Israel, & universa delicta atque peccata eorum, quæ imprecat capiti ejus, emittebat illum in desertum. Demum in nova lege in celebratione Missæ Christus offerretur Deo in sacrificium, tamen cum corpus ejus sit gloriosum & impassibile, non destruitur, nec immutatur: Ergo ad sacrificium non requiritur vera & realis immutatio victimæ, sed sufficit ejus oblatio.

Respondeo negando Antecedens, nullum enim proferri potest exemplum sacrificii ex Scriptura, in quo non facile sit intelligere fuisse factam aliquam destructionem, vel immutationem rei oblatae. Nam de sacrificio Melchisedech affirmant celeberrimos Interpretes in cap. 14. Genes. aliquid panis igni tradidisse, & aliquid vini libamine consumpsisse, ut fieri solet in sacrificiis pacificis, id est ad gratiarum actionem institutis. Idem dicendum de panibus propositionibus, & de panibus primitiarum: non tantum enim panes illi coquebantur a Sacerdotibus, sed & aliqua eorum particula igni coquebatur, ut de panibus propositionibus indicat textus Hebraicus Levitici 24. verba q. ubi pro eo quod vulgatus Interpres ait de panibus propositionibus, *Sanctis Sanctorum est de sacrificiis Domini*, sic habet: *קָרַשׁ קִישׁוֹם הוּא לֹא אֶשְׂרֵף הוּא לֹא אֶשְׂרֵף* Sanctis Sanctorum hoc est de ignitionibus Domini. Ignitio autem proprie significat combustionem, & non coctionem panum. Similiter duo illi agni, de quibus fit mentio Levitici 23. non tantum elevabantur coram Deo, sed etiam occidebantur in Dei honorem, & postea in usum Sacerdotum cedebant, ut ibidem docent Interpretes. Nec obest quod Scriptura non faciat mentionem huiusmodi omnium, quia non omnia semper exprimit, ut vel ex eo patet, quod Apollolus ad Hebræos q. referens id quod Moyses

fecerat Exodi 24. faciens veteris Testamentum, ait Moyses accepisse sanguinem vitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccinea, & hyssopo: ipsum quoque librum aspersisse. Cum tamen in Exodo nihil de hyssopo, & lana coccinea, de qua aqua & aspersio libri scriptum esse, sed in sola traditione constaret, essetque Judæis adeo notum ut Apollolo nulla probatione opus fuerit.

De hircio autem vivente, & in deserto emissio, cuius fit mentio Levit. 16. dici potest, illum non fuisse integrum sacrificium, sed partem unius integri sacrificii: duo enim hirci jubentur ibi offerri pro peccato populi, quorum unus occidatur, alter dimittatur in desertum, modo supra dicto. Sicut Levit. 14. initio, jubentur offerri duo passeres pro lepra mundationis: quorum unus immoletur, alter vivus dimittatur, & in agrum volare sinatur. Nimirum ad representandam Christi mortem, per hircum, & passere vivum. Vel quod Christus, quæ homo tantum, passus & innotuit sit: manens quæ Deus, impassibilis & vivus.

Demum ad id quod subditur de sacrificio Missæ, dicendum est corpus & sanguinem Christi destrui moraliter in Eucharistia, quatenus vi verborum ponitur sub speciebus panis & vini in statu deteriori, inepto ponitur suis naturalibus & humanis, atque tendente ad consumptionem & destructionem: cum enim ibi ponatur modo invisibili, ponuntur modo naturaliter inepto suppletionibus & visibus eorum propriis. Item cum ibidem constituantur per modum cibi & potus, tendunt ad ipsum quo destruantur, & desinant esse, speciebus corruptis. Demum in sacrificio Missæ fit immolatio mystica ipsius Christi, quatenus vi verborum ponitur Christus sub specie panis, & sanguis sub specie vini, ad representandam separationem utriusque, factam in cruce & in morte Christi. Unde in tali sacrificio fit mystica quedam sanguinis per gladium verborum effusio, ut Cyrillus loquitur: sicut sacrificia veteris legis, non sine physica sanguinis effusione, per victimam realem occisionem peragebantur. De quo suffus in Tractatu de Eucharistia disp. 11. art. 1. cum de sacrificio Missæ differemus.

Explicata essentia & definitione sacrificii in communi, superest ut tradamus varias ejus species & divisiones, ac multiplicia veteris legis sacrificia, breviter hic recensamus. Sacrificium ergo jam descriptum, multipliciter dividitur. Primo ratione materie dividitur in victimam, sive hostiam, immolationem, & libamen: quando enim fiebat ex animalibus occisis aut consumptis, dicebatur *victima*, sive *hostia*; quæ nomina ab hostibus victimæ, aut vincendi, & debellandis derivata sunt, eo quod ad victoriam reportandam, vel ad gratias agendas pro illa reportata, offerri solebant. Quando autem fiebat ex rebus inanimatis solidis, dicebatur *immolatio*, nomine deducto a mola, in qua fruges terebantur: quando ex liquidis, dicebatur *libamen*, eo quod vinum, oleum, & alii liquores libantur, id est sunt effusione offerrentur Deo, ad significandum supremum quod habet in vitam & in mortem dominium. Exemplum huiusmodi omnium differentiarum extant in lege Moïsaica: nam animalia munda occidebantur, id est oves, agni, boves, vituli, hœdi, capre, columbe, passeres, & turture; & multe res inanimatae solide offerrebantur in sacrificium, nimirum panis qui in frusta scabatur, vel ex aliqua sua parte comburebatur, relique cedente in usum Sacerdotum, aut offerentium; similia quoque fartagine, cilbano, vel craticula coquebatur; sal quod in ignem conjiciebatur; triticum quod adolebatur; manipulus spicarum qui torrebatur; crucis quæ nonnulla mola vel pistillo contrebatur; liquida quoque nonnulla vi effusione offerrebantur, ut sanguis, aqua, vinum, oleum.

Secundo ratione forme, seu modi quo fiebat, dividitur potest sacrificium in cruentum & incruentum. Prius fiebat sanguinis effusione, ut in occisione animalium; posterius sine illa; ut in aliis oblationibus. Utriusque generis fuerunt multa sacrificia, non modo in lege Moïsaica, ut patet ex dictis, verum etiam in lege nature; nam Abel & Noe, Abraham sacrificaverunt animalia per ipsorum occisionem, Gen. 4. & 15. Melchisedech vero Rex Salem, & Sacerdos Altissimi, dicitur panem & vinum obtulisse in sacrificium, Gen. 14. Valuitque hæc differentia veterum sacrificiorum ad representandum duplex Christi sacrificium; unum cruentum in cruce perfectum secundum quod Christus dicit potest Sacerdos secundum ordinem Aaron; alterum incruentum in Eucharistia, secundum quod dicitur Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Unde Theodoretus q. 63. in Genes. *Tyrannus Melchisedech gerebat Sacerdotii Domini: ubique Abrahæ panes, vinum, & massam farinae vicissim dedit, prout moris erat, Deo talia offerens; animadvertente enim & in hoc typum patet.*

Tertio dividebatur olim sacrificium ratione forme, in 20. holocaustum, hostiam pacificam, & sacrificium pro peccato: Holocaustum erat in quo tota res comburebatur, ut in fumum resoluta ad Deum ascenderet; craticque perfectissimum sacrificium, quia in illo expressius significatur omnia ipsius Dei esse. In aliis duobus sacrificiis partim cremabatur, partim vero sacerdotibus, aut offerentibus refer.

Meritabat. Distinguebatur vero, quia hostia pacifica offerrebat pro beneficiis acceptis, vel accipiendis; sacrificium vero pro peccato in ipsius expiationem.

Denique ex sine dividebatur in sacrificium propitiatorium, seu hostiam, que pro peccatis preteritis offerrebat. Eucharisticum, quod & honorarium, seu gratiarum actionis dicebatur, offerrebatque pro acceptis beneficiis in communi: pro beneficiis vero in particulari, erat hostia pacifica, ut fuit agnus Paschalis in memoriam specialis beneficii Egyptiacae liberationis. Impetratorium, quod erat pro futuris donis impetrandis, vel malis vitandis & praevenendis.

Ceterum in lege gratia omnia haec sacrificia cessarunt, effectusque superstitiosum aliquo ex illis uti: quia adest perfectissima hostia, & sacrificium corporis & sanguinis Christi Domini, quod in tot illis legalibus sacrificiis figurabatur, atque ita debent cessare figurae, existente veritate. Unde ait Ecclesia in quadam collecta: *Deus qui legalium differentiam hostiarum unius sacrificii perfectionis sensisti* &c. Tridentinum sess. 22. cap. 1. exponens de Sacrificio Missae prophetiam Malachiae de oblatione mundi in omni loco offerenda nomini Domini, concludit: *Haec denique illa est qua per varias sacrificiorum, naturae & legis tempore, similitudines figurabatur, utique qua bona omnia, per illa significata, vocat illorum omnium consummatio & perfectio completitur.*

21 Oblatio, ut distincta a sacrificio, est actus quo res exterius Deo offerimus sine mutatione earum facta. Ita S. Thomas 2. 2. q. 86. art. 1. in corpore ubi sic habet: *Nomen oblationis commune est ad omnes res que in cultum Dei exhibentur, ita quod si aliquid exhibetur in cultum divinum, quasi in aliquod sacrum quod inde fieri debet, consumendum, & oblatio est, & sacrificium. Unde Exodi 28. dicitur: Offerret votum artem in incensum super altare: oblatio est Dominus odor suavitissimus vestimenta Dei. Et Levitic. 2. dicitur: Anima cum obulerit oblationem sacrificii Domino, similia erit eius oblatio, si vero sic exhibetur ut integrum maneat divini cultui dependendum, vel in usu ministrorum expendendum, erit oblatio, & non sacrificium.*

22 Huiusmodi simplicis oblationis fit sepe mentio in Scripturis: nam Levit. 13. precipitur oblatio de manipulis novarum spicarum, & Deuteronom. 26. iubentur filii Israel tollere de cunctis frugibus suis primitias in cartallo, & ferre ad sacerdotem, qui ponat ante altare Domini. Et ad Hebraeos 5. sic dicitur: *Omnis Pontifex ex hominibus constituitur in his que sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Ubi pro dona, que distinguit Apostolus a sacrificiis, intelligit simplices oblationes primitiarum, aliarumque rerum, que non adolebantur aut consumebantur in sacrificium, sed integra Deo offerrebantur ad usum sacerdotum & templi, ut Theophylactus & alii Patres exponunt.*

23 Votum definitur a D. Thoma 2. 2. q. 88. art. 2. & art. 5. in corpore. *Promissio Deo facta ad ejusdem Dei cultum. Dicitur promissio, quia est voluntas obligatoria, differreque a simplici proposito, quod est sola voluntas & destinatio aliquid faciendi. Unde idem Sanctus Doctor loco citato articulo primo comparat promissionem cum imperio, in eo quod quemadmodum aliquis per imperium obligat aliam, in quem habet potestatem; ita per promissionem obligat seipsum ad aliquid faciendum, vel omittendum; eademque de causa dici solet, votum esse legem privatam, quam quisque sibi ipsi imponit, & qua seipsum obligat ad aliquid. Dicitur autem hac promissio fieri Deo, quia licet non modo votum coram Sanctis & Praeatis fieri possit, ut eorum reverentia moveat ad eas observationem, sed ipsa actus etiam promissio possit ad ipsos immediate dirigi, atque ad eorum cultum & observantiam referri; ut patet in voto solemnium quod in nostro Ordine emittitur, in quo sic dicitur: *Primum obedientiam Deo, & Beato Patri, & Beato Dominico, &c. nihilominus hac promissio prout fit Sanctis, non habet rationem voti formaliter, sed tantum materialiter, ut docet S. Thomas loco citato art. 5. ad 3. quatenus ut fit vere & proprie votum, debet adijungi tacite vel expresse alia promissio, qua promittimus Deo nos id facturos quod promittimus Sanctis; & hac promissio, que fit Deo, est votum, & pertinet ad religionem; qua vero fit Sanctis, non est votum per se, sed materia voti, seu alterius promissionis Deo factae, illi veluti materiae rationem voti formaliter afferentis; unde non cadit sub religione, sed sub dulia, hyperdulia, iustitia vel fidelitate, ut dicunt Salamancaenses in Tractatu de Virtutibus, exponentes generalem divisionem omnium virtutum. Dicitur tertio hac promissio fieri Deo, ad ejusdem Dei cultum; quia cum votum fit actus religionis & laetitiae, est ordinatio eorum que quis voverit in divinam cultum & obsequium. Unde existimo quod si quis promittendo Deo perpetuam castitatem, nullo modo intendere debet Dei honorem, sed tantum majorem temporalem commoditatem, aut quid aliud, ille non proprie voverit, neque talis promissio esset indispensabilis ab Episcopo, sicut est verum votum perpetuae castitatis.**

Juramentum est assertio divini nominis, vel invocatio divini nominis, ad fidelem faciendam, promissionem re firmandam. Unde secundum substantiam est actus intellectus, quaedamque locutio, qua Deum vocamus in testimonium confirmandam veritatem, fidelitatemque nostram in verbis & promissis; & quia huiusmodi invocatione profitemur divinam excellentiam, spectat elicite ad religionem, sicut de oratione & voto diximus. Debent autem juramenta, ut religiosum fir, tria observare, nempe veritatem, iustitiam, & iudicium, secundum illud Jeremie 4. *Jurabis, & vis Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iustitia. Veritas requiritur, quia Deus non nisi verum potest testificari: iustitia, quia non vult suo testimonio alicui iniuste noceri: iudicium, quia Dei testificatio irreligiose adducitur super re admodum levi, vel ubi nulla est necessitas.*

Adjuratio fit cum aliquem ad quippiam faciendum, vel omittendum obtestamur per Deum ipsum, ut ejus amor, timor, aut reverentia efficaciter eum permoveat, vel aliqui videatur non satis magis facere supremam ejus maiestatem, vel ut ejus timorem illi incutiamus. Hanc vero actum pertinet ad religionem patet, quia per se fit ad cultum Dei, quod honoramus hoc ipso quod maiestatem ejus reverenter interponimus, ut alius ejus respectu, vel terrore moveatur. Esse autem speciale ejus actum, & distinctum ab aliis; dubitari nequit, nisi de duobus, juramento scilicet & oratione. Differunt nihilominus a juramento, quia juramentum usurpamus ad nos ipsos obligandos, vel ad aliquod confirmandum per Dei veracitatem & auctoritatem; ad juramentum autem, ut alium obligemus aut adiganus ad aliquid faciendum, vel ad quippiam omittendum, propter reverentiam aut terrorem divinae maiestatis. Ab oratione vero differunt, quia adjuratio fieri potest imperando, non deprecando, & tunc factum est actus specialis; & omnino diversus ab oratione; quando vero fit deprecando, addit simpliciter orationem oblationem.

Ultimus actus religionis est invocatio, seu assumptio divini nominis per laudem, de qua agit Sanctus Thomas 2. 2. quaest. 91. artic. 1. ubi docet divini nominis laudes, hymnis, canticis, aliisque similibus modis celebrandas esse; non quidem ut Deo, qui cordium est creator, quam de ipso habemus opinionem igiturimus; sed ut nostros, audientiumque animos ad eum amandum, venerandumque excitemus. Et quamvis Deus ut et in seipso, utpote ineffabilis & incomprehensibilis, proprie laudari non valeat, sed fit major omni laude; secundum effectum tamen, qui ab illo in nos proveniunt, possumus ipsam laudare, juxta illud Ilaie 63. *Laudem Domini annuntiabo super omnibus que reddidit nobis Dominus, ut declarat Sanctus Doctor articulo citato in resp. ad 1.*

DISPUTATIO IV.

De aliis virtutibus iustitiae annexis.

Explicita definitione religionis, & praecipuis ejus actibus tam internis, quam externis, breviter agendum est de aliis virtutibus iustitiae annexis, quae partes ejus potentiales appellari solent. Unde fit

ARTICULUS UNICUS.

Aliae partes potentiales iustitiae breviter explicantur.

Prater religionem, quae inter partes potentiales iustitiae primum locum obtinet, plures aliae assignari solent, nimirum poenitentia, pietas, observantia, obedientia, gratitudo, vindicta, veritas, amicitia, liberalitas, de quibus agit S. Doctor 2. 2. a quaest. 101. usque ad 123. praeterquam de poenitentia, cujus tractationem rejectit ad q. 85. tertiam partem, ubi etiam nos de illa dicemus.

Post religionem ergo, & poenitentiam, quae sunt in ordine ad Deum, sequitur pietas, per quam parentibus debitus cultus officiumque tribuitur: parentes enim sunt veluti secundarii quidam divi respectu filiorum, tamquam secundaria principia essentiae & vitae; unde representant ipsius quodammodo ipsum Deum, qui est primarius & summus omnium Pater. Et ob hanc rationem (ut recte observat Philo in lib. de Decalog.) post praecipua prima tabulae, quae ad cultum Dei pertinent, primum secundae tabulae institutum fuit de honore parentibus exhibendo. Quia vero in consanguineis parentum sanguis invenitur, idcirco pietas aliquatenus quoque ad consanguineos extenditur, tamquam perseros primario illo fontali jure, quo parentibus obstringimur. Illa quoque respicit patriam: quia haec etiam aliquo modo est ortus principium, & quia parentes fovet, & opporuna ad ortum & educationem praebet. Unde Hierocles dissertatione de observantia in patriam, sic ait: *Est patria, per Jovem, vel alterum quidem Deus, & primus maximusque pater, quare qui nomen ei impoñit, a re ipsa tenere non patriam cognovit, vocabulo quidem a patre dedit.*

deducto promissio tamen feminina terminatione, ut ex utroque parente mixtum esset. Atque hoc ratio significat, patriam enim ex aequo duobus parentibus calendam esse. Praesertim igitur omnino est patria utriusque parentum socium; & ne simul quidem parentes ambos par est majoris fieri, sed aequali honore dignari.

Pietatem sequitur observantia, per quam homines aliqua dignitate excellentes, cultu quodam & honore sequimur: sicut enim parentibus & patria, quia sunt principia naturalis esse & educationis, debemus peculiare obsequium & cultum, pro quo exhibendo constituitur pietas, ita superioribus, quia auctores sunt nostrae gubernationis, & directionis, per leges, per praecipua, per consilia, per doctrinam, &c. debemus specialem honorem, ad quem praestandum ponitur observantia. Nec solum personas in dignitate jam constitutas a quibus de facto gubernamur, observantia cultu prosequimur, sed etiam omnes virtute, sapientia, alia perfectione insignes, quatenus ratione talis perfectioris apti sunt nos dirigere, & idonei ad nobis praedicandum, dignique ad quorum exempla conformare nos nitamur: subindeque honorem & cultum merentur, tamen non tantum, quantum in quibus nobis impendunt gubernationis beneficium, polleuntque in nos auctoritate & potestate: iis siquidem colendis & observandis actus obstringimur, quippe qui acta in nos conferant gubernationis beneficium. Cave tamen ne putet observantiam respicere huiusmodi beneficium, & in eius compensationem intendere, id enim spectat ad gratitudinem. Observantia itaque respicit beneficium illius fontem, seu excellentiam & potentiam, ex qua tale beneficium prodit, vel prodire aptum est.

Comes observantia est obedientia, utraque enim respicit superiorem, cum hoc tamen discrimine, quod observantia illam ut praecellentem respicit, obedientia vero ipsam inspicit ut potentem obligare ad aliquid faciendum, vel praetermittendum; unde per se respicit praecipuum, ut praecipuum est, eaque intentione operatur, ut illud implet, subindeque specialis est virtus: quia etiam ad omnium materiam se extendit, in omnibus tamen unum inspicit rationem formalem, quae est superioris praecipuum, in cuius adimpletionem, formalissime ut tall, splendet specialis honestas, praeter honestatem ipsius rei praecipuae.

Vis autem praecipui supponit jus & potestatem regendi, quae ex triplici capite provenire potest. Primo ex ratione causae & effectus, nam causa naturaliter habet potestatem in suum effectum, & hac ratione Deus potest imperare omni creaturae rationali, quae est auctor illius, ipsa vero opus Dei & figuratum: idemque suo modo competit parentibus in filios. Secundo id convenit ratione totius & partis, eo quod pars naturaliter subdit toti, & regatur ab illo, & hoc modo Respublica habet auctoritatem & potestatem in singula membra. Tertio provenit ex ratione agentis & patientis, vel instrumenti; agentis enim est movere & dirigere patientem, sicut & causa principalis suum instrumentum; sic marito competit potestas in uxorem, domino in servum, hero in famulum, &c.

Alligantur pro perfecta obedientia, tres conditiones. Prima est quod fit caeca; non quod homo non videat quid exequatur, quomodo enim aliquo ageret? aut quod temerarie & caeco modo irruat in executionem, sive honestam, sive illicitam (id enim longissime abest ab eo qui ex virtute, & secundum recta rationis regulam operatur) sed quod rationes praecipui, sui motiva quae superiorem induxerunt ad praecipuum, non profreteretur, fatique ei fit; quidquid praecipitur, dum illicitum esse non constet, praecipui ab eo qui locum Dei tenet. Unde Gregorius in 1. Regum lib. 2. cap. 4. *Vera obedientia nec praesertim intentionem discutit, nec praecipua discernit; quia qui omne vis sua iudicium majori subdit, in hoc solo gaudeat, si quod sibi praecipitur, operatur, respicit enim iudicare quisquis, profreterit dicitur obedire. Quia hoc tantum bonum putat si praecipua obediatur. Hanc obedientiam Sanctus Doctor docet 1. sub finem, vocat indifferens, & aliquo ulla delicta, quasi diceret excoctam & caecam; nam oculus mentis est discretio, ut Cassianus collat. 2. cap. 2. notavit. Eam valde commendat Umberto lib. 5. de erudit. relig. part. 2. cap. 16. ubi recte admonet non posse regularem fieri ut iumentum apud Deum, nisi quod alligatus ad molam trahendum volvendam equis sollemne est, sensus ac iudicium sui oculos oculos, immo, ut ipse loquitur, erutos abeat.*

Secunda conditio obedientiae est ut sit prompta ad exequendum, ut nec praecipuum differat, nec tergiversetur, neque excuset, nec lente & cum torpore ad opus accedat. Immo praecipua praecipui, seu executio actus, quia cognoscitur placere superiori, etiam nondum praecipuum promenti, praestantissimum obedientiae exercitium consistit, & illic actus heroicus illius: sicut enim qui ante tempus conditum anticipat solutionem, elicit actum perfectae iustitiae; ita qui praecipuum iustum, elicit vere actum obedientiae, & quidem perfectissimum. Unde Bernardus sermone ad milites templi: *Tantum (inquit) habet.*

buit obedientiam, ut vitam quam ipsam perdere maluerit, factus obediens usque ad mortem.

Tertia est, ut sit fortis in opere praecipuo aggrediendo, & perseverando in illo, ne propter rei difficultatem ab obediendo resiliat; exemplo Salvatoris & Redemptoris nostri, qui factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, ut ait Apostolus; Sive qui (ut loquitur Bernardus) ne perderet obedientiam, perdidit vitam.

Obedientiam S. Augustinus, & D. Thomas ceteris virtutibus moralibus praerite videntur, etiam palmam concedere: ille enim lib. 1. contra Advers. cap. 14. *Obedientia (inquit) maxima est virtus, & ut sic dixerim omnium erige materque virtutum, in ea natura, cui sic datum est arbitrium libera voluntatis, ut eam eam necesse sit vivere sub potestate melioris. Iste vero hic quaest. 104. art. 3. haec scribit: Per se loquendo laudabilior est obedientia virtus, qua propter Deum continentur propria voluntate, quam alia virtutes morales, qua propter Deum aliqua bona continentur. Existimo tamen illos SS. Doctores non velle praerite obedientiam religioni (praesertim cum S. Thomas hic quaest. 81. art. 6. religionem omnibus virtutibus moralibus absolute anteponat) sed eam esse obedientiam praestantiam arbitrari, ut solis virtutibus Theologicis, & religioni credere videretur.*

Sexta pars potentialis iustitiae est gratitudo, ad cuius munus pertinet beneficium ab alio acceptum recognoscere, & pro eo siquid benefactori rependere, nempe gratiarum actionem, obsequium, cultum, vel aliud beneficium. Hoc enim rationi consentaneum est, ut offendit D. Thomas hic quaest. 106. art. 3. hoc dicitur: *Omnis effectus naturaliter ad suam causam convertitur, unde Dionysius dicit 1. cap. de divin. nomin. quod Deus omnia in se convertit tanquam omnium causa: semper enim oportet quod effectus ordinetur ad finem agentis. Manifestum autem quod benefactor, in quantum huiusmodi, est causa beneficii, & ideo naturalis ordo requirit, ut ille qui suscepit beneficium per gratiarum recompensationem convertatur ad benefactorem secundum modum utriusque, & sicut de patre dicitur est superior, benefactori, in quantum huiusmodi, debetur honor & reverentia eo quod habet rationem principii.*

Tres autem veluti gradus gratitudinis distinguit ibidem artic. 2. Primus est beneficium agnoscere, & memoria tenere. Secundus est verbis hoc ipsum declarare, benefactorem laudando, & gratias ei agendo. Tertius, factus, seu rebus aliquid retribuere, pro loci, temporis, aliarumque circumstantiarum ratione, sive hoc fit honor & reverentia, sive auxilium, & sustentatio. De gratitudine quam Deo debemus ob beneficia ab eo accepta, eleganter differit Bernardus serm. de quadruplici debito, ubi haec habet: *Cui ei donavero quidquid sum, quidquid possum, nonne istud totum est sicut stella ad Solem, gutta ad fluxum, lapsus ad montem, granum ad acervum? Non habeo nisi minuta duo, immo minutissima, corpus & animam, vel potius unum minutum, voluntatem meam; & non debi illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficiis praevenerit, qui zero se totum me comparavit?*

Septima est vindicta, qua quodammodo fit habet ad mala accepta, sicut gratitudo ad beneficia, quatenus utriusque est vicem rependere: sicut enim gratitudo bonum reddit pro bono, ita vindicta malum pro malo, scilicet malum poena pro malo culpa; idque ut restus ordo servetur, & quod extra ordinem recti per culpam prolapsum est, ad illum per poenam revocetur. Sic Deus peccatores, qui ab ordine pulcherrimo iustitiae & legum deviarunt, per culpam prolapsi sunt peccando, ad ordinem ipsius iustitiae reductur puniendo, ut nihil in mundo remaneat informe, sed omnia pulere suis locis & gradibus adaptentur. Unde Augustinus concione 1. in Psal. 38. *Iniquitas omnis, parva, magnaque sit, puniatur necesse est, aut ab ipso homine puniente, aut a Deo vindicante.*

Sed advertendum est cum Cajetano, hoc peculiare esse in virtute vindicationis, quod persona in qua residet non possit per seipsum consummare actionem propriam talis virtutis (intellige de consummatione includente etiam actum externum; nam intrinseca bonitas ut ipso virtutis subiecto complere habetur) quia materia eius est malum poena, quod nullus privata auctoritate infligere potest: unde executio vindictivae iustitiae solum debet fieri a iudice, cui est auctoritas puniendi malefactorum.

Octava est veritas, seu veracitas, quae nos facit dicere 8 verum, vel (quod idem est) veritatem & notitiam intellectui conceptam facit nos ad extra fideliter significare, recte utendo verbis & signis, quae nobis data sunt ad manifestandum alteri internos conceptus & iudicia, ita ut his exteriora signa conformentur; hoc enim vocatur dicere verum. In quo datur specialis honestas requirens specialem virtutem affinem iustitiae: est enim fidelitas haec manifestatio valde necessaria ad humanam societatem, atque adeo debita, debito saltem honestatis, his quibus convivimus, & cum quibus conversamur. Ad eam reductur fides, seu fidelitas in promissis: est enim veritatis, seu veracitatis pars, quod factum promissioni respondeat.